

uandum, Si vero decesserit res que superfuerint necessariis sepulture, ad ipsam domum debent pertinere, Item nullus manencium in dicta domo, assumat sibi specialem seruitorem, sine licencia persone ministrantis, nec extra domum panes, uel victualia a quoquam deferantur, sed quod superfuerit decumbentibus in domo et seruari non potest, distribuatur mendicantibus hostiatim, per eandem personam ministrantem, Nullus eciam ibidem nutriat uel teneat porcellos, vel huiusmodi nisi Cattos, Nec liceat sepius nominate persone ministranti, de rebus dicte domus, aliqua concedere, vendere, permutare, distrahere, vel quoquomodo alienare, sine eorum consensu et consilio qui dicte domui principaliter habent prouidere, Interliniarem supra positam uidelicet, que partim permutata sunt in loca, approbo et ratifico, In premissorum autem robur et euidenciam plenioram, sigillum meum presentibus est appensum, et sigilla, Capituli vpsalensis, et Domini Birgheri legiferi, necnon et dominorum, Nicolai scolastici et heronis Canonicorum vpsalensium, et Fratris jsraelis prioris sictonie, presentibus instanter apponi peto, Actum vpsalie Anno Domini, Millesimo, CCC°, quinto, sexto kalend. junij.

På fränsidan: Institutio Primaria Domus dei vpsalie et vnde obtentus sit fundus et quis eam edificauit et qualiter pauperes ibi debeant manere.

Alla sigillen borta, men remsorna kvar.

1468.

1305 d. 14 Juni.

Upsala.

RAGNERID GUSTAFSDOTTER, Lagman Israels enkas gåfvobref på en tomt vid Mariæ kyrka i Upsala, nära bron, samt ett hus till Predikarebröderne i Sigtuna.

A. 3. c.

Omnibus presentes litteras inspecturis, RANGFRIDIS GØDSTAUI filia relicta Domini Jsraelis bone memorie quondam legiferi vplandie, Salutem in domino sempiternam, Notum facio per presentes quod conuentuj Religiosorum virorum fratrum ordinis predicatorum siktunie in meorum remissionem peccatorum, Confero, Do, proprio, assigno, et ad manus trado in area quam pro promptis denariis comparauj et aliquando inhabitauj iuxta ecclesiam beate virginis vpsalie prope pontem vnum fundum longitudinis quatuordecim cubitorum et decem cubitorum latitudinis in introitu vbi porta curie in area memorata constructe esse consueuerat, Predictis quoque fratribus confero domum vnam seu hospicium in dictum fundum transferendum, et ipsos in fundi et domus predictorum corporalem possessionem pono per presentes et exnunc proprietatem et dominium eorum in ipsos fratres transfero pleno jure, Testes autem huic mee donacionj in puplico placito vpsalie adhibuj per discretum virum dominum Jordanum sacristam ecclesie vpsalensis

wlgariter dictos fastar, secundum patrie leges et consuetudinem approbatam quorum hec sunt nomina. silicet. Dominus Rødh kioldorsun, dominus kanutus Muli, suno de vpsalia, Botulphus pæterson, Conradus de luptstuvy, Olauus asguthsbrodhir, Johannes de grenberghum, Thiegni, Elardus, godhika de svartabek, Hænica, bilderbæk, Engilbrict sartor, lambertus pelliparer, Thomas pictor, johannes longus, Thidhemannus gladiator, Johannes pistor, østanus pistor, Ermundus, thorirus dyakn, spielbudhi pelfifex, Johannes coqus, Henza lichtenberg, Thidemannus faber, et multitudo reliqua in placito congregata, Jn cuius rej testimonium sigillum meum presentibus apposuj et honorabilis viri Magistri Andree prepositi et communitatis Ciuium vpsalensium et karissime filie mee rangburgis que predictæ donacionj mee consensit sigilla huic littere instanter apponj peto, in robur et testimonium veritatis, Datum vpsalie Anno domini. M°. CCC. quinto, XVIII. kalend. Julij.

På frânsidan: De hospicio fratrum vpsalie.

Sigillen N:o 1 och 2 bortfallna, N:o 3 och 4 skadade; remsorna klippta af ett lika lydande, förmodligen misslyckadt bref.

1469.

1305 d. 14 Juni.

Upsala.

Bemålde RAGNERID GUSTAFSDOTTERS gåfvobref på en gård nära St: Mariæ kyrka, vid bron, till Helgeandshuset i Upsala, med undantag af det hus med tillhörande grund, som hon hade gifvit till Predikarebröderna i Sigtuna.

A. 3. a *).

Omnibus presentes litteras inspecturis RANGFRIDIS GIOZTAUI FILIA relicta domini israelis bone memorie quondam legiferi vpplandie salutem in domino sempiternam. Notum facio per presentes quod curiam meam prope ecclesiam beate virginis iuxta pontem ibi situatam. quam dominus gierdarus pro VIII marchis denariorum comparauit. sub nomine domini prepositi ex parte mea a nicolao braxatore. et cecilia vxore sua. acceptis super dicto contractu. in publico placito vpsalie. firmariis wlgariter dictis fastum, et multo tempore personaliter inhabitauj. Confero. do. proprio. et assigno domuj dej vpsalie preter vnum solarium ibidem pro quo illius possessor precium non habuit. et preter vnum ospicium quod fratribus predicatoribus siktunie dedi. et fundum. decem cubitorum latitudinis. et XIII cubitorum longitudinis. quem contuli fratribus predictis. Et ex nunc proprietatem et dominium dicte curie in dictam domum dej transfero pleno iure. et eandem pono in corporalem possessionem predictorum per presentes, Testes autem mee donacioni premisse in publico placito vpsalie adhibui per discretum virum dominum iordanum

*) Ur en afskrift af d. 28 Juli 1317, vidimerad af Olaus, utvald Arkebiskop i Upsala.